



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa  
Sacramenta, accuratè declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1664**

Dispvatio LXVIII. De Characterere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13826**

# DISPUTATIO SEXAGESIMA OCTAVA.

## De Charactere.

**P**RÆCIPVVM Sacramentorum effectum, nempe gratiam habitualemente declaravimus in precedentibus, nunc de secundario eorum effectu, Characterem scilicet, agendum, qui quamvis non ab omnibus, ut mox dicetur, à quibusdam tamen Sacramentis, animabus suscipientium imprimitur. Hoc verò singulare quiddam est, & Legi nova peculiariter concessum; in Lege enim veteri homines non interius in animâ, & spiritualiter, sed exterius in carne, & corporali signo notabantur, Circumcisione scilicet, per quam à ceteris gentibus distinguebantur. Hinc Sanctus Chrysostomus Homiliâ 2. in Epist. ad Ephesios: Obsignati, inquit, sunt & Israëlita, sed Circumcisione, quemadmodum pecudes. Hujus ergo characteris natura ac proprietates hic sunt explicanda.

### SECTIO PRIMA.

Verum aliqua nova Legis Sacramenta imprimant Characterem.

I. Tria tantum Sacramenta imprimere characterem certa est Theologorum sententia.



LIQUA, inquam, omnia enim Characterem suscipientibus non imprimere, hæc scilicet quatuor, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Uñctionem, & Matrimonium, certa est Theologorum omnium sententia, atque ex Concilio Florentino & Tridentino ad hoc deducitur argumentum; dum enim de aliis tribus Sacramentis tantum, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine affirmant imprimere Characterem, de reliquis quatuor id negare videntur. Deinde asserunt ideo hæc tria Sacramenta iterari non posse, quia imprimunt characterem. Hinc ergo optime deducitur alia quatuor, cum iterari possint, Characterem non imprimere. Quare audiendi non sunt quidam ex antiquis Theologis, qui quamvis dicta quatuor Sacramenta Characterem non imprimere assererent, aiebant tamen ea ornatum quendam, etiam in indignè suscipientium animabus producere. Sed hæc sententia planè est rejicienda, cum sine ullo, vel ex Scripturâ, vel Patribus fundamento, ullâ ratione validâ, sic conficta.

II. De tribus ergo tantum Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine procedit quaestio, circa quæ etiam non idem olim fuit omnium di-

cendi modus. Durandus siquidem, ut mox videbimus, verbo tenus Characterem admittebat, re ipsâ tamen negabat. Scoto & Gabrieli imprimatur necne Character res dubia videbatur. Caietano etiam non admodum placet hæc Characteris impressio, in eam proinde tanquam in rem novam obloquitur. Hæretici denique, tam novi, quam antiqui omnino negant per hæc etiam tria Sacramenta imprimi Characterem: ita Wicklephus apud Waldensem Tomo 2. de Sacramentis, cap. 10. idemque affirmant nostri temporis sectarii, Lutherus, Calvinus, & alii.

Constans tamen modò Theologorum omnium assertio est, eaque fide certa, tria hæc Sacramenta, Baptismum scilicet, Confirmationem, & Ordinem characterem imprimere. Hanc verò doctrinam falsò dicunt Novatores ab Innocentio III. primò fuisse traditam cap. *Majores de Baptismo*, cum & ibidem faciat mentionem Pontifex aliorum, apud quos passim ea vigeat opinio, & ex nonnullis Scripturæ testimoniis non obscurè deducatur, ut 2. ad Corinthios 1. *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris: ad Ephesios 1. In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis, qui est pignus hereditatis.*

Quæ & alia Scripturæ loca, adjunctâ auctoritate Patrum, qui passim de Characterem mentionem faciunt, & Baptismum peculiariter vocant signaculum & sigillum, satis clarè probant intentionem. Characterem itaque in Sacramentis quibusdam imprimi, apertè docet Sanctus Cyrillus Alexandrinus, Sanctus Basilus, S. Gregorius Nazianzenus,

Confirmatio-  
Ordine pro-  
cedis qua-  
sio.

III. Fide certum est Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem.

IV. De characterem passim mentionem faciunt sancti Patres.

Nazianzenus, Sanctus Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & alii, qui videri poterunt apud Bellarminum libro 2. de Sacramentis, c. 21. Tandem definita est hæc veritas, non ab Innocentio III. solum quoad Baptismum, sed in Concilio Florentino, in decreto Eugenii IV. ad Armenos, & Tridentino sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere.

V. *Cur hæc tria Sacramenta præ aliis imprimant characterem.*  
Ratio autem cur hæc tria Sacramenta, non alia imprimant Characterem, videtur esse, quod per illa homines peculiari modo tanquam milites & ministri Christi ad specialia quædam munera & officia deputentur. Per Characterem itaque Baptismi signantur primò homines tanquam milites Christi, & distinguuntur ab exercitu & militibus diaboli. Per characterem Confirmationis, peculiari modo deputantur homines ad certamen fidei contra persecutores subeundum. Tandem per characterem Ordinis, deputantur peculiariter homines ad ministranda Sacramenta. Cùm ergo hæc tria Sacramenta constituent homines stabiliter in huiusmodi ministeriis, congruum fuit, ut Characterem iis, quo ab aliis, qui peculiari modo ad hæc munera deputati non sunt, distinguerentur, imprimerent.

VI. *Offenditur malè dixisse Durandum, characterem ab his tribus Sacramentis impressum, esse tantum relationem rationis.*  
Hinc infertur ex communi sententiâ Theologorum contra Durandum, qui solum nominetenus admittit Characterem, re tamen negat, cùm dicat tantum esse relationem rationis, infertur inquam, Characterem esse aliquid reale, ab animâ distinctum, quod vel ex eo constar, quod Concilia & Patres dicant eum imprimi animæ, hoc autem denotat veram & physicam productionem; sicut ex simili arguunt Theologi gratiam esse aliquid physicum, ab animâ realiter distinctum, quod à Conciliis dicatur animæ infundi.

VII. *Hæc Durandi sententia circa impressionem characteris, jam sine errore in Fide sustineri non potest.*  
Suarez itaque hic, disp. II. sect. 2. ait hanc Durandi sententiam jam sine errore in fide sustineri non posse ob definitiones Florentini & Tridentini. Addit Bellarminus citatus cap. 19. sententiam illam vix distingui ab hæresi huius temporis, Vasquez tamen hic, disp. 184. cap. 2. conatur sententiam Durandi ab omni censurâ vindicare, cùm ipse saltem aliquid morale in animâ per illa tria Sacramenta relictum esse concedat: hoc tamen non videtur satisfacere auctoritati Conciliorum asserentium Characterem peculiariter per illa Sacramenta imprimi, omnia autem relinquunt post se aliquid morale, nempe jus ad peculiaris auxilia cuiusque Sacramenti fini propria.

VIII. *Dicit etiam placet, quod affirmant nonnulli, characterem scilicet esse relationem realem.*  
Nec etiam placet quod cum Scoto in 4. dist. 6. quæst. 10. dicunt aliqui, nempe Characterem esse relationem; si enim loquatur hæc sententia de relatione prædicamentali, contra est primò; relatio enim prædicamentalis est ad terminum tantum existentem, Character autem fit relatio, respicit & Baptismum præteritum, & auxilia futura; nec enim apparet quis alius sit illius terminus, vel saltem cur hæc non sint. Contra secundò: Ad relationem juxta Philosophos non datur per se motus, at verò ad Characterem datur per se motus, & per se ordinatur Baptismus ad illum imprimendum. Tertio: Non minùs in Extremâ Unctione, & Matrimonio confurgit relatio conjugati & uncti, quam in his tribus relatio baptizati, confirmati, & ordinati, ergo omnia Sacramenta imprimunt Characterem. Si autem solum velit Scotus Characterem esse relationem transcendentalem, vera est illius sententia, nec

differt à communi; respicit enim Character auxilia, ad quæ jus quoddam confert, & similiter operationes ab iis procedentes.

SECTIO SECUNDA.

De Naturâ & causis Characteris.

QUÆRES: Utrum in Christo fuerit aliquis Character. Respondetur negativè: ita Sanctus Thomas 3. parte, quæst. 63. art. 5. corpore, & omnes præter Mayronem in 4. dist. 7. quæst. 5. art. 13. qui Christum primo conceptionis suæ instanti hos omnes characteres habuisse affirmat. Rationem conclusionis assignat Sanctus Thomas loco citato, Christus namque habuit plenam spiritualis Sacerdotii potestatem, ejus autem fideles aliquam hujus spiritualis potestatis habent participationem, cujus participationis, non plenitudinis, ex naturâ suâ signum est Character. Deinde Christus increato divini verbi characterem insignitus est, modòque longè perfectissimo, unde non est cur imperfectioribus hisce insigniatur. præterea militum, ovium, ac fervorum proprium est signo aliquo, seu characterem notari, non Ducis, Pastoris, & Domini.

Quare, non est etiam admittendum quorundam apud Halensem 4. parte, quæst. 8. memb. 8. art. 1. §. II. & Sanctum Thomam in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 3. quæst. 5. placitum docentium in Christo, non quidem alios, characterem tamen Ordinis existere, quod nimirum Christus sit summus Sacerdos. Hoc, inquam, nullo modo est admittendum ob jam dicta, & quia Christus eminentiori absque omni comparatione modo fuit Sacerdos, quam nos, ut est per se manifestum.

Quoad Beatissimam Virginem probabile est, eam Baptismi & Confirmationis characterem habuisse; sicut enim capax fuit primarii effectus Sacramentorum, nempe gratiæ, ita & secundarii, videlicet characteris Baptismi & Confirmationis; Ordinis enim fuit incapax. Quod verò sanctissima hæc Virgo per Sacramenta fuerit capax augmenti gratiæ, constat; nec enim in primo instanti conceptionis omnem gratiam recepit, ad quam fuit electa, ut non rectè affirmavit Gabriel, sed cumulatam illam quam tunc accepit gratiam, tum meritis suis, & virtutum actibus, quos toto vitæ tempore elicuit excellentissimos, tum Sacramentorum susceptione, præsertim Eucharistiæ (quam diebus singulis eam sumpsisse plurimi affirmant) mirum in modum auxit.

Extremam etiam Unctionem Beatam Virginem recepisse communior habet opinio: hujus proinde Sacramenti, non propterea parvuli sunt incapaces, quia nunquam peccarunt, sed quia tentationibus hostis humani generis, contra quas hoc Sacramentum in illo articulo peculiariter munuit, impeti non possunt, qua de re in peculiari, quem de hoc Sacramento instituemus tractatu, iterum redibit sermo. Plura etiam in tractatu de Ordine dicentur de Ordinis characterem.

Est itaque Character à tribus illis Sacramentis impressus, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, signum quoddam spirituale & indelebile, quod de causâ iterari hæc Sacramenta non possunt. Mantent ergo hi characteres, etiam in animabus à corpore separatis, quare si Christianus, postquam est mortuus, ad vitam denuò suscitetur, baptizari iterum, ut postea dicemus, non debet, nec

I. *In Christo nullus fuit Character.*

II. *Malè affirmant aliqui Christum habuisse characterem Ordinis, eo quod sit summus Sacerdos.*

III. *Beatissimam Virginem Baptismi & Confirmationis habuisse characterem, est probabile.*

IV. *Extremam-unctionem recepisse beatissimam Virginem, communior habet sententia.*

V. *Trium horum Sacramentorum character est signum indelebile.*

Sacerdos si ad vitam revocetur iterum ordinari, ut etiam affirmat Sanctus Thomas lectione septimâ in caput II. Epistolæ ad Hebræos.

**VI.** Dices: Nec iterari Matrimonium potest, & tamen non imprimatur characterem. Respondetur primò, non affirmare Concilium ideo imprimere characterem, quia iterari non possunt; sic enim nec benedictio calicis, aut templi consecratio iterari possunt, & tamen characterem non imprimunt, sed quòd docet Concilium, solùm est ideo iterari non posse, quia characterem imprimunt.

Secundò respondetur, iterari Matrimonium posse, altero conjugè mortuo. Urgebis, saltem cum eadem personâ iterari non potest. Respondetur in quibusdam casibus posse, ut si vir mortuus resuscitaretur; morte enim dissolvitur Matrimonium juxta illud Apostoli ad Corinthios 7. vers. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat.* Unde resurgens vir ejus non posset sine novo contractu ei cohabitare, & consequenter posset denuò cum eâ contrahere, cum tamen Sacerdos resuscitatus non denuò ordinetur, aut baptizentur rursus vel confirmentur, qui à mortuis resurgunt, quia scilicet hi habent characterem, non conjuges. Imò etiam subinde possent sine miraculo iidem conjuges denuò contrahere; si enim post Matrimonium ratum & non consummatum alter conjux emitteret professionem in religione approbatâ; hoc enim casu dissolvitur Matrimonium. Unde si postea ex dispensatione Pontificis rediret ad sæculum, posset iterum cum eadem personâ contrahere.

**VIII.** Quæres: In quâ ex quatuor speciebus qualitatum à dialecticis assignari solitis, nempe dispositione & habitu, potentiâ & impotentia, passione & passibili qualitate, formâ & figurâ sit Character. Thomistæ communiter, quos sequitur Henriquez, & Valentia, Characterem in secundâ specie collocant: Suarez, Vasquez, & alii in primâ: Halensis, S. Bonaventura, Ocham cum aliis in tertiâ: Richardus, & alii, quos sequitur Salas tomo 1. in primam 2. tract. 20. disput. 8. sect. 3. in quartâ, & cum dicunt esse figuram quandam spirituales, alii ad nullam, alii ad omnes has species spectare asserunt.

**IX.** Non videtur Character, ut volunt Thomistæ, statui in conceptu potentiæ; vel enim est potentia activa, vel receptiva: non hæc; neque enim auxilia & operationes supernaturales recipiuntur in Characterem, sed in animâ aut illius potentiis, nec tandem character Baptismi disponit ad characteres aliorum Sacramentorum; sic enim fœminæ possent ordinari Sacerdotes.

**X.** Quòd vero Character non sit potentia activa physica, probatur: nam ut supra diximus, nullum aliud requiritur principium physicum ad actus quosvis supernaturales eliciendos præter habitus supernaturales. Deinde characteribus Diaconi & Subdiaconi nullus actus respondet qui validè exerceri non possit à Laico. Unde nec est cur dicamus characterem Sacerdotis aut Episcopi ad alios characteres physicè concurrere, dum Episcopus Sacerdotem aut alium Episcopum ordinat, character quippe non magis est potestas ad Sacramentum Ordinis conferendum, quàm Peniten-

tia in Sacerdote, cum quòd confertur, ex verborum conferatur: quandoquidem ergo aliquos characteres habemus non esse physicè operativos, nil est cur idem non asseramus de omnibus. Videatur Suarez hic, disp. 11. sect. 3. ubi hæc fuisset prosequitur.

Dicendum ergo cum Suario disp. 11. sect. 3. Vasquez disp. 134. num. 70. & aliis, Characterem esse qualitatem supernaturalem in primâ qualitatis specie, & consequenter habitum seu qualitatem permanentem, ornantem subiectum in ordine ad se, & potestatem ei morale conferentem ad aliquid vel efficiendum, vel recipiendum. Character itaque Baptismi dat potestatem ad alia Sacramenta validè suscipienda: Character Ordinis ad actus aliquos sacros in Ecclesiâ exercendos: Confirmationis denique character licet propriè non sit potentia, aliquâ tamen ratione est, cum sit adscriptio quadam in militiam Christi, & dispositio ad Sacramenta quadam deceter suscipienda.

Manet verò semper character semel impressus, etiam in damnatis. Quamvis autem sit qualitas supernaturalis, non obstat statui damnatorum, cum nihil eorum vel culpæ minuat, vel pœnæ, nec sit principium physicum elicivum alicujus actus tendentis ad salvationem. Licet etiam maneat ad eorum confusionem, non tamen videtur intuitivè à damnatis, sed à solo Deo & beatis, cum sit res in entitate supernaturalis, à damnatis verò cognoscitur tantùm per species abstractivas, sicut hunc cognoscunt fuisse Regem, illum Comitem, & cætera.

Mihi tamen non videtur improbabile, posse aliquo modo spectare characterem ad quartam speciem qualitatis, ut vult Salas; cum enim non videatur implicare qualitas supernaturalis, quæ peculiari modo respiciat gratiam & res supernaturales, ac servitutem Christi, sicut gemitus, lachrymæ, risus, & cætera, significant res quadam naturales, non est cur negemus characterem Baptismi de facto esse ejusmodi: imò nisi dicatur respicere ex naturâ suâ res aliquas supernaturales, non est cur sit necessariò quid supernaturale, cum res quævis naturalis assumi possit ad placitum ad significandum aliquid supernaturale, sicut de facto vox gratia, lumen gloria, visio beatifica, &c. res supernaturales significant.

Recipitur Character in ipsâ substantiâ animæ, tum quia potentiæ non distinguuntur ab animâ, ut in Philosophiâ dixi, tum quia esto distinguantur, adhuc cum Character non sit propriè quid operativum, sed spectans ad ornatum & perfectionem, congruentius est, ut in ipsâ animæ substantiâ immediatè, quàm in potentiis, recipiatur. Dices, saltem character est potentia moralis ad aliquas operationes, ergo debet esse in eâ potentiâ, ad quam spectant illæ operationes. Contra primò: Ergo deberet Character esse & in voluntate, & intellectu, cum det jus ad operationes utriusque potentiæ. Contra secundò: Gratia dat jus ad visionem beatificam, visio ad dotes corporis gloriosi, & tamen nec illa est in intellectu, sed in solâ animâ, neque hæc in corpore, sed in intellectu, ergo similiter licet Character det jus & ad operationes intellectus & voluntatis, poterit esse in animâ.

*Non docet Concilium ideo hac Sacramenta imprimere characterem, quia iterari non possunt, sed ideo non posse iterari, quia imprimunt characterem.*

*Matrimonium, etiam cum eadem personâ, in quibusdam casibus potest iterari.*

*In quam ex quatuor qualitatis speciebus sit character.*

*Character statui nequit in potentiâ.*

*Character nec potest esse potentia activa, nec passiva.*

*XI. Character est qualitas supernaturalis in primâ specie qualitatis.*

*XII. Character semel impressus manet semper, etiam in damnatis.*

*XIII. Dicitur non improbabile, posse characterem spectare ad quartam speciem qualitatis.*

*XIV. Characteres in ipsâ animâ substantiâ subjectâ, non in potentiis, licet hæc realiter ab animâ dicantur distinguantur.*